

re VII. fuerat . . . At postquam physica prædeterminatione, sub Paulo V., a Basilida exagitata fuit; tunc constat, Cardinales Perronium & Bellarminum, coram Summo Pontifice, contra eam sententiam paulo liberius, & vehementius perorasse. Verum, si Paulum ipsum, non Clementem, eo Perronii sermone deterritum voluit illi ipsi, qui fabulam venditarunt, annon nugæ loqui convinceris? Quid quod certissimis documentis hoc alterum liquet, Perronium nunquam de damnanda gratia prædeterminante apud Paulum V. multastasse, (quod utique facturus erat, si Calvinianæ sententiæ affinem censuisset) sed in id unum instittisse, ne (quod Clementi VIII. & Paulo V. in animo fuerat) in fidei dogma transfret; neve dissentientium opinionum alterutra supremo iudicio sanciretur? Ita quippe Gallus Auctor vitæ ejusdem, Operibus præfixa: *Son avis fut, tant pour le respect de ces deux Sociétés celebres, comme des grands hommes, qui y debattoient, comme aussi pour la consideration des choses en soy, qui emportoient beaucoup d'inconveniens, & de difficultés, qu'elle demeurât indécise, sans qu'il fut permis d'en rien terminer.* Quod ita latine dixeris: *Censuit Perronium, partim ex reverentia in utrumque clarissimum Ordinem, eruditissimosque Disputatores, partim, spectato cause merito, que permixtis inconmodis, ac difficultatibus involuta erat, ut in medio relinquere, nihilque de ea decerni, ac definiti liceret.* Et clarissimi Sarmartani Fratres in Gallia Christiana: *Sub Paulo V., cum de Auxiliis Gratiæ, & libero arbitrio, capta Romæ Congregatio sub Clemente VIII., & serè absoluta, iterum convocata esset, atque aggregatus Perronium, partim ejus consilio, questio inter Theologos difficillima, que per quinquaginta annos usque nunc totius Europæ celeberrima ingenia exercet, interminata remansit.*

Mitto, que contra libellum, Perroniana nuncupatum, audacter effusis, risu verius, ac sibilis explenda, quam seria refutatione refellenda. Quis enim clarissimos viros, Dominos du Puy, Perronii amicos, ac familiares, qui arguta Eminentissimi Viri dicta, atque sententias in eam epistolam collegerunt, ignoviles, & incerte fidei vitæ dicat, & male in Societatem animatos? Aut quis insaufum Valentæ casum, eo libello ex Perronii persona memoratum, eidemque innotescere non potuisse sibi fingat; quod nondum ille Romæ degeret, quo tempore falsi convictus, atque prostratus dicitur Molinianus Disputator?

Dignius operæ pretium erit investigare, adeone paradoxo loco haberi debeat, quod probatum a nobis est, fabulosum Perronii dictum in rectum etiam sensum flecti posse: ut nimirum curaturam se dixerit, (si gratiam se ipsa efficacem fanciret Pontifex) ut Decreto universi Europæ Sæculari subscriberent, sanctamque doctrinam suis chirographis communicent; non quod sanctam illic doctrinam illam ipsam esse, crederet, quam in a Sæcæ Principibus accepissent, a Synodo Tridentina proscriptam; sed quod sanctam illic doctrinam non longe ab ea distare, certo sciret, quam secutis inde temporibus, ac depositis pristinis præjudiciis, & erroribus, adoptarant. Et quidem Calvinianos bene multos, diu ante Perronii tempora, emolitis Magistrorum suorum pristinis aberrationibus, ne dicam, penitus expolis, ad Ecclesiæ sententiam eo saltem in capite propius accessisse, tam multis, tamque disertis eorandem professionibus, nostrorumque Theologorum, ac Polemistarum suffragiis demonstravi, ut nihil tibi succurreret in oppositum, quod mutires. Quid mihi itaque Calvinium obtrudis, & qui cum illo, sub reforma-

tionis initium, de gratia, & libero arbitrio tam immaniter delirarunt; cum non illos, sed qui ad sua tempora viverent, in oculis duntaxat haberet Perronium, dum in se fuscipere fingitur, ut Decreto Pontificio, gratiam Thomisticam fancienti, subscriberent? Quid mihi etiam antilogiam, & temporis repugnantiam exprobras, quod scripserim, Calvinitas, & Lutheranos, eo viso Decreto, gratiam per se efficacem fanciente, ad Ecclesiæ premium facilius redituros, vanamque opinionem deposituros, qua Romanam Ecclesiam Molinæ fragmenta pro Catholicis dogmatibus excipere, eaque ratione Pelagianismum approbare, fabulantur? Quasi vero de his ego Calvinianis, ac Lutheranis sermonem habeam, qui Molina, ut ais, nondum nato, ab Ecclesiâ desecraret; ac non de his potius, qui, quo tempore locutus Perronium fingitur, vitam ducerent? Aut forte, quod hic ego de vana recentium Protestantium opinione obiter inui, id Buxtorffii, Leidkerlii, Jurii testimonis non probaverim, quæ nihil, quod reponeres, habuisti?

Iis tu, surda aure, prætermittis, que tibi hoc in capite jugulum petunt, in altera Petri Jurieu, Calviniani Ministri, sententia cavillaris; quam a me in specimen datam, quereris, repudiati tandem apud Sæcularios Calviniani erroris; quem ex contrario purum, putantque hac ipsa sententia contineri, contendis. (1) At, ut rancida calumniam est, diu ante repulsa Tom. 2. Gallicæ Defensionis, cap. 32. & data ad Gabrielem Danielem Epistola, ubi in antecessum, quæcumque objicis, refelluntur; temporis, & operæ parco, nec actum ad lectoris naufeam denuo reago. Interim satis, vel me tacente, prædens lector intelliget, haud alia mente, alioque consilio hæc a me Calviniani Ministri sententiam recitari, atque probari, quam, qua parte recentium Reformatorum nomina proficitur, Divinam operationem, que & voluntatem præcedit, & ad bonum invicte determinat, libertatem ejus minime ledere. . . . Eamque Divinam Gratiæ energiam, qua voluntas ad bonum necessario determinatur, non habere libertatem. Ad hoc enim tota hæc nostra collimabat oratio, ut probaremus, recentioris ævi Sæcularios longe, multumque a primis Sæcæ Principibus abscisisset, qui liberum arbitrium rem de solo titulo, ac titulum de solo nomine, nuncupabant: quod ea Petri Jurieu professione plane conficitur. Si qua vero recitati fragmenti parte gratiam irresistibilem, semper victicem, necessario determinantem appellat, id utique non probatur a nobis, qui non, ut id probaremus, fragmentum excerptissimum. Ut enim in datis comparationibus illud unice spectandum est, ad quod explicandum sunt instituta; ita in citatis quorumcumque scriptorum testimonis in id unum inspicendum, ad quod probandum citantur, ac proferuntur. Quin & erit fortasse, qui dicat, has ipsas loquendi formulas, que sensum in Calvinio prorsus hæreticum præferunt, non perinde a Jurio usurpari: cum & Calvinium, & primos reformationis Architectos, quoad libertatem, & humanæ voluntatis assensionem, ejuret ac deserat: gratiamque idecirco efficacem, irresistibilem ab eo dici in actu secundo, ut schola loquitur, quod nullus illi re ipsa obstat; eandemque necessario determinantem vocitari, necessitate infallibilitatis, & consequentiæ: quo pacto hæc D. Augustini, Innocentii I. ac totius Ecclesiæ Catholice voces exponimus: *Subventum est infirmitati voluntatis humane, in Divina Gratiâ indolubilitate, & insuperabiliter ageretur . . . Testis servavit Deus, ut ipso don-*

nante, invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc desere invictissime nolent. . . . Necessè est, ut, quo adjuvante, vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur. . . . Nostros etiam rebelles compelle propriis voluntatibus. Id enim ni dicatur, Calvinio, primisque Sæcæ Magistris adharere, convincitur Petrus Jurius, quos tamen eo in capite deseruisse, compertum est.

In reliquis, que tanto animi æstu, ac motu bile, prosequeris, nil nisi aereum verberas, peregrinos mihi sensus attribuens, hostemque, quem ferias, tibi fingens. Falsum enim 1., me duplici scena, eaque longe dissimili, lectorum animos recreare: qui, quem antea Perronium exhibui, totum Jesuitarum rebus, ex Henrici IV. mandato, proeurandis intantum; eundem subinde nihil contra Dominicanos suo illo pervulgato dicitio molitum præferentem, immo etiam Scholæ Thomisticæ adfaventem. Nec enim ego toto illo postremo capite, Perronium in eum, quem exposui, sensum re ipsa loquentem induco, ac Thomisticis re ipsa faventem; cum potius, quod illi verbum assignatur, in fabulis habeam: sed ex data duntaxat, & non concessa hypothese, probandum mihi sumo, affectum Perronio verbum æquo etiam, ac bono in Thomistis animo dictum, censei posse, si cetera contatet fide testium, nec ab Angelicæ Scholæ oribus ad invidiam factum esset. Hoc unum mihi fuisse consilium, verba, initio capitis posita, palam faciunt: „ Ego quidem, inquam, est liberum putem, narrationem, ab amulis primo vulgatam, exfufflare, „ uti eam nonnullos exfufflasse video, Adversariis „ tamen ex abundantia gratificari malim, quam „ fidem exigere. Ita igitur dixerit, uti volunt „ Eminentissimus Perronium, bene est: at non „ id eo animo dixisse, putandus est &c.

Falsum 2., me usquam effutisse, omnem aliam in Ecclesiâ hæreticam esse censendam doctrinam, præter unam Thomisticam recentiorum: perperam que id elicere, tibi putas, quod scripserim, Theologos orthodoxos Thomisticam doctrinam, veluti Ecclesiæ doctrinam testem, Calvinianis proposuisse, ut illos ad sana consilia revocarent. Non omnis quippe Ecclesiæ doctrina fidei dogma est, sed eo quoque vocatur nomine quæcumque doctrina, in Ecclesiâ recepta, & approbata, qua fidei dogmata a Theologis explicantur. Uti ex communi loquendi formula, gemino sensu Catholicum dogma dicimus: non illud modo, quod, uti fidei caput, Catholica proficitur Ecclesiâ; sed & illud quod, uti fidei fluxu consonum, eadem Ecclesiâ probat, & recipit. Hoc igitur unum volui loco, abs te vellicato, Theologos orthodoxos fidei caput de concordia libertatis, & gratiæ, adversus Calvinianos vindicantes, Thomisticas explicationes, ab Ecclesiâ receptas, feliciter proposuisse, quam Molinianas, ut illos ad sana consilia revocarent. Quod certe non ita pridem Serenissimi Principis de Conty consilium fuit, ad Descampium Jesuitam scribentis: (1) *Id mirum parium esse, puta, ut prudens tibi consilium offeram, ne videlicet privatas Molinæ sententias, uti Ecclesiæ doctrinam, vendites, si forte in Calvinianos calanum acuas.* Et enim aliud omnino sit substantia dogmatis, aliud explicandi modus; nemo tamen non videt, quantum Hæreticorum conversio retardabitur, si eos illis explicandi modos obtrudas, a quibus multo magis abhorreant, quique ad præsens in causa sunt, cur Ecclesiæ Romanæ Pelagianismum impudentius objiciant. Qua de re plura forte, quam velles, dedimus lib. 3. Historiæ, cap. ultimo.

Servy Tom. II.

(1) Epist. 9. (2) Jesuitæ,

Falsum 3., me Thomisticæ doctrinæ nomine, revocandis ad fidem Hæreticorum animis opportuna, Banegianam, ut ais, ad peccatum prædeterminationem intellexisse; in quam idcirco Thomæ Campanellæ infectas insultationes, ac Trafonicas minas transcribere, gestis. Nihil enim ejusmodi vel per somnium cogitavi: sed gratiam se ipsa efficacem, gratuitamque prædeterminationem, ac finitima dogmata intellexi, in Auxiliorum Disputationibus ventilata; a quibus quam longe ablit Philosophica illa de Divinis ad pravos actus motionibus opinatio, demonstravi sect. 3. cap. 9. 10. & 11. Quo loco eadem quoque opera ostensum est, quid de Thomæ Campanellæ sententiis, quoque jure eundem verum doctrinæ Angelicæ vindicent dicas. Interea, si eo Doctore, atque Magistro uti libet, audi, quam belle tuos quoque gratiæ congruæ vindices ludat, Jesuitas ipsos ad marginem ex nomine appellans, in Centone Thomistico art. 1. Ubi etiam systema illud, revocandis ad fidem Hæreticorum animis perinde improprium, dicitur, ac recentis scholæ Thomisticæ motiones. „ Alii (2) autem aiunt, NEC „ RECTIUS, Deum non prædestinare, nec re „ probare ante prævisionem actuum humanorum; „ item non prædestinari actus liberos per se a „ Deo, sed ab occasione fatalibus; quos quidem actus dicunt a rerum serie, ut vocabulum „ facti vident, moveri; sic ut agant id, ad quod „ prædestinati sunt homines. Nam, si prædestinatio est post prævisionem actus, tunc actus præ „ viti, ex ferie orti, non ex libertate, ut inde „ pendente a ferie, sunt infallibiles. Et tunc re „ vera nihil excusatur ex hoc Deus: five enim „ per se, five rerum serie, per aliud trahat ho „ mines ad suos fines, infallibiliter fiet, quod „ decretum est, & inevitabiliter ad fines ibunt „ præstitos, five præscriptos. Ex quo sequitur „ inferentibus libertatis, e Calvinii femine exor „ tis, quod peccatum non sit peccatum, nisi ex „ opinione; cum ad ipsum impellamur a Deo, „ & effectus causarum magis tibi debeant pot „ tentiori causæ, quam debilliori, etiam abque „ hac non fiat. Adde, quod Chrysofostomus super „ Joannem considerat, quod Judas, optima serie „ positus, damnatur, & Cornelius Centurio, in „ pessima, salvatur: ergo voluntas non pendet a „ ferie, nec ejus determinatio, nisi occasionali „ ter. Anima enim est ratio, que ipsam movens, „ ut Plato, & Patres nostri docuerunt.

SECTIO SEPTIMA.

Sextus, idemque postremus Eleutherianæ Historiæ Liber dispungitur, quo sexta causæ cognitio, seu habitæ sub Paulo V. disputationes, aliaque inde secuta infideliter recitantur, depravantur, corruptuntur.

CAPUT PRIMUM.

Sexti examinis præjudicia fide pessima ab Eleutheria recitata: Antilogiæ, & hallucinationes Historico perperam objectæ.

IN hac tanta, quam pessima fide congeris, figmentorum copia, ut meam de præludis sexti hujus examinis narrationem arrodas, ea nunc intacta prætermittam, que pridem a me, data occasione, rejecta sunt: nec a te ipso exemplum capiam, qui eandem millies naniam occentas, tamen cumulatissime confutatam. Lectorem monere sat erit, que a te de evitato a Predicatoribus,

R 2

(1) Lib. De natura, & gratia, cap. 9.

ribus, sibi male metuentibus, physica prædeterminationis examine, denuo ingeruntur, hæc sect. 4. cap. 2. explosa esse. Quæ de Academia Parisiensi, Molinæ commenta probante, ac confirmante; quæque de Antonio Rosa, Petro Fulienfi, Iacobo Habertio, Ludovico Cellotio, eandem fabulam obrudentibus, novis a te tibi decantantur, hæc, inquam, sectione 3. cap. 3. aliisque, ibidem indicatis Historiæ locis, fuisse rejecta. Quæ de celebri Clementis VIII. Scripto, quod a Prædicatoribus, non ab ipso compositum, dixerat, iterum proferuntur, hæc sect. 6. cap. 4. falsi convinci. Quæ tandem de Cardinali Perronio, quem suoque genio, non ex Henrici IV. mandato, Jesuitis patrocinatum, arbitraris, de integro dicitur; quæque de Hispaniæ Magnatibus, Claudio Aquavivæ, Societatis Præposito, subinfectis, de fallacibus fiderum signis, & Astrologorum auguriis recinere lubet, sect. 6. cap. 5. in antecessum referuntur. Quare unica nobis cura erit in præsentia resellere, quæ a te nova, atque hæcenus indidita, congelata sunt, ne eam quoque Historiæ nostræ partem sine cavillo præterires.

Quo in genere prima orationum occurrit pinguis illa, ne dicam, insulsa animadversio, qua me antilogia, ac dissonantia inculcas, quod initio statim scripserim, Purpuratos Principes Pontificatus honorem Camillo Burghesio, Divino potius nutu, quam humano, detulisse: nonnullis vero interjectis, observaverim, Bellarminum non mediocrem pro Pauli V. electione operam posuisse, unde mutuas benevolentia, & grati animi vices sperare possit. Scilicet mirabilem antilogiam appellas, que ima summis, humana Divinis confundat, Pauli Pontificis electionem Deum inter, & Bellarminum partiat. Immo supendum, horridamque ignorantiam nemo non dicat, qui nesciat, ea quoque hominum ministerio fieri, quæ, Divino nutu, ad insperatum exitum perducuntur. Quid enim? An forte, si dixerim, Baronium saltem non mediocrem pro Pauli electione operam posuisse, (quod nemo Historicorum non observavit) tuas illico verborum phaleras obrudes, ima summis, humana Divinis confundi, Pauli Pontificis electionem Deum inter, & Baronium dividi? Hoc itaque scito, quod veritas habet: Post Baronium, quo potissimum administrari in ea Pauli V. electione usus est Deus, nemo nobilioribus partes habuit Bellarmino. Cum enim disceptarent Patres, quem extincto Leoni sufficerent, ætate, & gratia Dominicus Tuscanus, Mutinensis, antebat, in eumque Galli, & Hispani consensu videbantur: jamque ad Pauli Sacellum, ut ad ejus genua procumbent, ingrediebantur Patres; cum repente Baronius cœpit exclamare, Tuscanum inutilem Ecclesiæ, parum idoneum Christianæ Reipublicæ futurum: strepitusque adeo ingens excitatus est, ut ei statim Cardinales, quos Conscientiæ vocant, inter quos princeps erat Bellarminus, adhaerent. Inter hæc Baronium ipsum exclamarunt non pauci, quibus ille manibus, pedibusque restitit, orans, ut digniorem eligerent. In Bellarminum subinde conversa Patrum vota; immo, ut Ciacconii Continuatores habent in ejus vita, In Comitibus Pauli V. parum absuit, quin in Pontificem Maximum eligeretur: sed ipse Virum gravissimum, suum studium, operamque pollicentem, ut desisteret, coheratus est. Iis renuentibus, atque obstantibus, Camillus Burghesius a Montalio, & Aldobrandino acclamari cœpit: cumque vox momento Collegium pervassisset universum, extemplo Pontifex ab omnibus salutat est. Hæc brevis rei gesta series. Abi nunc, Eleutheri, & Bellarminum tuum debito honore defrauda, ut mihi mendacium, & antilogiam objicias.

Pergis tamen argutus antilogiarum detector: atque huic quoque sententiæ, qua dixi Bellarminum non mediocrem pro Pauli electione operam posuisse, unde mutuas benevolentia, & grati animi vices sperare possit, alteram illam repugnare vis, qua cap. 7. lib. 4. dictum est, Paulum V. tanto Bellarminum honore dignari voluisse, ut editam ab eo lucubrationem, qua Molinianas assertiones corrasis D. Augustini testimoniis confirmaverat, committere, atque conferri, sineret, cum celebri Clementis VIII. scriptione, ad Thomisticæ sententiæ defensionem adornata. Nempe mirum esse, ais, rejectum statim, neglectumque fuisse Bellarminum, si magnam pro Pauli V. electione operam posuisset. Quin etiam mirabilis esse putas, quod cap. 8. insinuavi, Jesuitas, (qui & mutuas benevolentia, & grati animi vices sperare perinde potuissent) inducias nihilominus quæsisse sub anni finem, ut quemadmodum Clementis, ita & Pauli judicium effugerent. At num tu potius mirificus homo es, qui tot mira retegas, ubi omnia ex usu contingunt? Quid enim tam utatum, quam spe sua deici homines, maxime, ubi improba vota conceperint? Plana igitur omnia sunt, atque coherent quæ optime. Quia Paulus juris, & æqui rationes cæteris prætulit, noluitque, Bellarmini lucubrationem cum Clementis VIII. scriptione conferri, quod disparem utriusque conditionem esse nosset; acceptique officii memoriam æquitati interim cedere iussit; in aliis plus satis beneficis Bellarmino, quæ, incolumi iustitia, largiri posset. Sed & Socii, post menses circiter quatuor, Paulum longe alium experti, quam initio putaverant, novas de more inducias quæserunt, ut interim tempus ducerent; novaque consilia, ex ratione temporis, ac rerum, agitarunt: ex quo potissimum tempore oblata ab ipsis novo Pontifici supplicatio rejecta est, qua novos sibi Censores delegari precabantur, Quis hic, nisi putidus cavillator, antilogiam, aut facti repugnantiam exprobrat?

Sed ad alteram alterius argumenti animadversionem lectores provocas, qua me pugnantia locutum, meisque ipsis rebus implicitum putas. Si quæ, inquis, de Cardinali Perronio narrat? Historicus, vera sunt; illum nempe Paulo V. recens electo significasse, maturius esse deliberandum; alioquin cavendum, ne Parisiensis Academia, universumque Gallia Regnum, Apostolica definitioni repugnarent. Agnoscat ergo, istam Academicarum principem amicam fuisse Jesuitarum doctrinæ, & prædeterminationem opinantis inimicam; agnoscat, vera dixisse Petrum a S. Joseph, Iacuum Habertium, Ludovicum Cellotium, Antonium Rosam, Sorbonam in Molinæ gratiam pronunciasse, & physicam prædeterminationem, seu hæresim, proscriptis se. Lepidum enim vero consecutionem! Quid-ni meliori jure dixerim ego: Si certo novisset Perronius, Sorbonam in Molinæ gratiam pronunciasse, & physicam prædeterminationem, seu hæresim, proscriptis se; cur non potius latam jam Academicæ Censuram objecisset, ut festinantis Pontificis impetum retardaret; ac non simpliciter significasset, maturius esse deliberandum, ne Apostolicæ definitioni Academia repugnaret? Major enim (quod unum tunc Perronius moliebat) Pontifici metum incussisset lata jam Academicæ sententiæ, quam quæ interponenda fingeretur intercessio; si causa præcipiti judicio finiretur. Et certe, si jam tunc in Molinæ gratiam pronunciasset Academia Parisiensis, uti ex ea Perronii oratione colligere, tibi putas; immo, si universum Gallia Regnum ad Molinæ partes accessisset, uti plane, juxta Dialecticæ tuæ leges, ex

eadem oratione colligere debes: dic, amabo, qua forte, qua lege, Historici illorum temporum, natione Galli, qui celeberrime de Divinis Auxiliis Controversiæ meminere, non modo nihil de lato Sorbonæ judicio obiter iniecerint; verum etiam Molinæ doctrinam pessimis modis habuissent? Nota quippe illa Petri Matthæi in Molinam animadversio, in Historia septem annorum pacis, lib. 7. narrat. 4. Tertia demum Controversia Romæ mota est, occasione libri Ludovici Molinæ, Societatis Jesu Professoris, de concordia gratiæ, & liberi arbitrii, qui Pelagianam hæresim maxime ex parte suscitasse ferrebat; quique audacius, quam par esset, adversus S. Augustini doctrinam scripturierat; tamen hæc, uti Ecclesiæ fides, habenda sit in his, quæ ad gratiam, & liberum arbitrium pertinent. Fratres Prædicatores, qui primas in Hispania, & Lusitania Theologiæ Cathedras moderantur, Molinæ doctrinam, velut erroream, traduxerunt. Lemos, quem nulli doctrina, & eruditione secundum habent, multum, in eo demonstrando, studii, ac laboris impendit. Res coram Pontifice Maximo, Cardinalibus, & Generalibus Ordinibus, Romæ publicis disputationibus ventilata est, cujus definitio in annum alterum missa fuit. Tunc demum experiri licebit, an Romani Pontificis judicium libero hominis arbitrio vires addat, illudque Divinæ Gratiæ virtuti anteponeat. Nota & illa Clarissimi Thuani, lib. 131. historiarum, ad annum 1604. Jesuitici Sodales alie, no tempore aliquot quæstiones proposuerunt, quæ magnæ animorum contentioni, non solum Romæ, sed quacumque legitime successio nis, & doctrinæ patet ditio, materiam præbuerunt. Tertia multorum ingenia exercuit, a Ludovico Molina proposita, de gratia Dei cum libero arbitrio, in nobis ad salutem cooperante: in qua, cum plus homini, quam Deo tribuere videretur, summos adversarios habuit Dominicanos amulos, qui B. Augustini (qui cum Pelagianis ea de re tam profunde, & tot scriptis disputavit) sententiam, in Ecclesia receptam, tuebantur. Acerbiore longe multo Mezerai in Molinæ sententiam declamatio, in Compendio historico chronologico, ad annum 1604. Adeo mala imperigo Theologorum Scholasticorum calamos exedit, dum omnia in controversiæ vocant, ut Jesuitæ nonnulli tres Romæ quæstiones hoc anno moverint, quæ magnos in ea Curia motus exciterunt, multamque in tota Christiana Republica offensionem crearent. Tertia erat Molinæ Jesuitæ Hispani nova opinio de Divina Gratia. Novam opinionem dico, quod de ea primum inventa gloriatur Aucor, eamque Ecclesiæ Patribus prorsus incognitam dicat; ad quam si illi utique attendissent, magnis se difficultatibus exsolvisset. Ita illius ætatis Historici Galli; Molinæ doctrinam haud ita inclementer excepturi, si hæc a Regni principe Academia receptam, atque probatam, inaudivissent: immo probaturi quam maxime, si universum Gallia Regnum ad illius partes, uti comminiferis, accessisset. Quod itaque Paulo V. significavit Perronius, maturius esse deliberandum, ne Parisiensis Academia, universumque Gallia Regnum, Apostolica definitioni repugnarent, non eo spectabat, ut florentissimam Academiam, totumque Regnum ad Molinæ doctrinam, quæ tunc damnanda credebatur, inclinatum inueneret; alioquin expeditius dixisset, indulgendum Molinæ, ne forte Galli judicio intercederent; sed eo tendebat unice, ut judicii maturitatem, quidquid tandem in

partem alterutram decerni contingeret, a Gallis, juris, & æqui tenacissimis, desiderari, significaret. Quanquam, si verum loqui licet, vanum terculamentum illud esset, haud alio fine factum, quam ut privato Henrici IV. genio satisficeret, lisque interim traheretur in longum, donec opportuna se daret occasio rem totam æterno silentio involvendi. Atque hæc de commentitiis antilogiis, a te mihi tam fidenter objectis.

Alter de admittis per hallucinationem erratis accusatio, conviciorum, quam rationum feracior est, teque verius hallucinatum, ostendit. Doluerunt haud dubie tibi oculi, dum cap. 2. legeres citatum a me prolixum fragmentum libelli supplicis, Paulo V. a Jesuitis oblato; ubi tot inter cavillationes, ac strophas, quæ judicium, sub Clemente instituta, eludere nitebantur, istam etiam addebant, hodierno Societatis zelo, ac studio non admodum congruentem: Ecclesiam scilicet, in regendo, ac decernendo privati cujusque Auctoris sensu, errori esse obnoxiam; Clementem vero suum omne, & instituta Congregationis studium, in pervestiganda S. Augustini sententiæ, posuisse: adeoque modicæ, ac ferme nullius utilitatis esse, quæcumque hæcenus gesta fuerant. Idcirco factum agnoscere, cum supplicat, mihi hallucinationem exprobras: Tribus in capitibus, inquis, Historicus aut errat, aut imponit. Primum est, quod hæc omnia, uno, eodemque libello supplice contenta, moneat, quæ ex diversis desumpta sunt. Alterum est, quod hæc Paulo V. oblata fingat, cum Clementi constet dicata fuisse. Tertium est denique, quod innuat, horum libellorum Auctores fuisse Jesuitas, cum id nullo probari instrumento possit: immo contrarium colligatur ex eo, quod nulla Auctorum nomina inscribantur; cum tamen in cæteris libellis, Pontifici a Societate oblati, nomina Jesuitarum, aut Societatis inscribi soleant. At tu ipse tribus in capitibus audacter imponis. Extat enim vero in generali Prædicatorum Ordinis tabulario Thomæ de Lemos scriptum autographum, quo libellum illum supplicem, a capite ad calcem de integro descriptum, appictis ad omnes ferme periodos annotationibus, consutavit. Huic titulus iste propria Lemossii manu adscriptus est: *Scriptum periculosissimum, datum Paulo V. a Jesuitis tempore, quo de definitione tractatur. Ad manus autem meas pervenit 11. Augusti, anni 1605., cui breves annotationes ad marginem adhibui, tanquam antidotum.* Ex qua sola epigraphæ duo jam, quæ prætervide negas, facile colliguntur: primo, a Jesuitis editum esse libellum hunc; aut certe, si alienum scriptum ab illis oblatum garrire, lubeat, adoptatum omnino fuisse, atque probatum: secundo, non Clementem, sed Paulo porrectum esse, qui die 11. Augusti, anni 1605. tres ferme menses ab adepto Pontificatu numerabat. Quod idem ex ipso quoque libelli prologo perspicuum est: In controversiæ, quæ jam pridem agitur, de Auxiliis Divinæ Gratiæ, duplex quæstio continetur: altera de viribus liberi arbitrii, seu gratiæ necessitate; altera de vi, potestate, totaque natura gratiæ efficacis. Utraque quæstio multis difficultatibus implicatur, ut ex iis, quæ per tot annos ultra, citroque disputata sunt, colligi facile potest. Equidem, antequam disputationes auctoritate Clementis VIII. instituerentur, in hac sui sententiæ: videlicet Censores, qui de libro Molinæ sententiam tulerant, fuisse ultra modum severos &c. . . . Verum nunc post trium ferme annorum disputationes, res eo adducta videtur, ut longe aliud consilium, in eundem sit &c. Ex quibus etiam primo-

produlii verbis altera hallucinatio tua refellitur, qua fidenter pronuncias, libellum, ex quo prolixum fragmentum in Historia descripti, anonymi cuiusdam Scriptoris consultationem esse, Clementi VIII. datam, de modo finiendam controversiam. Hujus enim initium fuisse, ais: *Venus est inter doctissimas, ac perdifficilis questio, &c.* ab alterius scriptoris exordio longe diversum. Quin ex hac ipsa consultatione Paragraphum *Sed bene magna ex parte describis, qualis tamen nullus in libello, a Jesuitis oblato, reperitur: adeo scilicet cuncta pervertis, ac prapostere misces.* Sed & vereor maxime, ne non tam oscitantia, quam calliditatis tua fuerit, quod varia promiscue scripta confunderis, ut rem totam ambagibus implicares, citatque a me fragmenti fidem minus acutus lectoribus dubiam faceres. At si quis dubitat, indignitatem Autographum adeat, fuisset oculis probaturus, an non ex illo integra fide, atque ad verbum excerpta sint, quae in Historia recitantur.

Levioris negotii erit ea refellere, quae de celebri Clementis VIII. Scripto, in quindecim articulis distributo, recinere libuit. Hoc ab ipso Pontifice, non a Praedicatoribus, uti somnias, fuisse compositum, tam discrete, tam invide cap. 4. sect. 6. demonstratum est, ut nulli jam dubium esse possit. Quid itaque quaerere juvat, ubinam extet Autographum, propria Clementis VIII. manu descriptum; siquidem facti fides aliunde constat: cum multarum, de quibus nullum extat dubium, scripturum autographa aut intercederint, aut ignotis plerumque angulis delitescant? Parisiis tamen servari crediderim, Serenissimi Principis de Conty fide nixus; qui, cum data ad Jesuitam Descampium Epistola 1. articulum quintum Clementini scripti laudasset, magnamque ei auctoritatem, ac venerationem ex Pontificis persona conciliaisset; eidemque pro more Jesuita respondisset, dato rescripto, Innocentium X. ea omnia apocrypha denunciaisset, quae de Divinorum Auxiliorum Controversia typis edita fuerant; id inter alia multa repositus Serenissimus Princeps Epistola 2., ut dicto fidem affereret: *Quand les imprimez seroient declarez apocryphes, L' ORIGINAL NE L' EST PAS, QUI EST GARDE A PARIS: & il est impossible, qu' un decret de l' Inquisition empêche, que Clement n' ait écrit ce, qu' il a effectivement écrit.* Hoc est: *Tametsi transumpta, typis edita, pro apocryphis habentur, Autographum tamen, Parisiis servatum, eo decreto minime petitur: cum nullum Inquisitionis decretum efficere possit, ut id re vera non scripserit Clemens VIII., quod re ipsa certissime scripsit.* Quid rursus mirari lubet, Clementem editum a se Scriptum ad Congregationem expendendum remisisse, veramen Augustini doctrinam complecteretur; Actoremque Societatis partes ejusdem aliquas summa libertate rejecisse: cum nihil Pontifex scribendo definiisset, sed privatam duntaxat sententiam aperuisset? Aut cui forte mirum accidat, si, quod in Romano Societatis tabulario servatum est, lucubrations hujus exemplar, Clementis subscriptionem referat, characteribus a reliquo scripto plane diversis? Nemo enim adeo male sapit, ut velit, Pontificem universa editi a se scripti prolixioris exempla, Cardinalibus, Censoribus, disputantibus distributa, describere manu propria debuisse: quasi non illi satis fuerit, descripta a Notariis, & amanuensibus transumpta hac peculiari nota obfignasse: *An ista sit doctrina S. Augustini in materia gratiae? Clemens Papa VIII. pro proxima Congregatione.*

Illud meliori jure lectorem movebit, qua tu

praesentia scribere ausus sis, scripti hujus articulos, ordine perturbato, in Historia nostrae Appendice repraesentari: ubi D. Augustini testimonia quadam post decimum quintum articulum referri, ais, quae post nonum, undecimum, & decimum tertium articulum extant, in Romano Jesuitarum exemplo, quod te infra ostensurum, spondes, in Appendice Historia tua, ubi totum hoc scriptum, ex Autographo desumptum, habebit lector, annotatis corruptionibus, ab Historico factis. Sed enim nullum hujusmodi scriptum in Appendice repraesentari; nedum factas ab Historico corruptiones observari: tametsi non pauca in eum Centonem scripta congetta videam. Sic sane dum aliena temere cavillaris, tui sermonis oblitus es. Mihi quidem, quid tuo illo, quod factas, exemplari contineatur, ignotum est: at hoc interim novi, & mecum experientur, quotquot rei periculum facient, Scriptum Clementis VIII. in Historia nostrae Appendice repraesentatum, ne vel uno apiculo distidere ab illo ipso, quod & Panopliae fuz, & publicatus nuper Actis inseruit Thomas de Lemos. Quis porro illud, aut mutilum, aut ordine perturbato descriptum, effutiet; quasi publico Thomisticae partis Actoris praesto non fuerit exemplar Autographum, Clementis manu scriptum; quale nimirum, jubente Pontifice, ab ipso Congregationis Notario, disputantibus traditum est?

C A P U T II.

Eleutherii in enarrandis disputationibus, coram Paulo V. habitis, errata historica, calumnie, convicia refelluntur.

Quod haecenus observatum a nobis, ut misso disputarum questionum examine, factis duntaxat, quibus Historiam nostram suggillare aggressus es, incumbereamus; id in hac postrema defensionis nostrae parte pari methodo observabimus: suppositaque Scholasticarum declamationum, quae suam quique causam orabant; Theologica inquisitione, una nobis de factis ad historiam pertinentibus cura erit.

Itaque, ut a prima disputatione, quae in secunda Congregatione habita fuit, initium faciam, primo ingressu nugacem cavillatorem deprehendo: Ecce enim, recentis Lemsiis verbis, de Calvini sententia differentis, qualia apud Joannem a S. Thoma referuntur, (1) ab ijs nonnihil diversa, quae a me in hujusce disputationis narratione recitantur; non modo mutuum amorum discrepantiam crimini vertis, verum etiam factam successu temporis Actorum interpolationem exprobras: *Si uterque, inquis, Acta consuluit, oportet, ea cum tempore mutata esse, quae aliter loquentem Lemosium exhibent olim, quam hodie.* Inepte profecto, atque ridicule. Quid enim, si ipse Lemosius Acta consuluit Joannes a S. Thoma, atque ex ijs ejusdem verba transcripsit, quae vero, quod sapissime monui, Gregorii Coronelli Commentariis dehorati, verbaque Lemosii ex iisdem expressi? Quid, inquam, mirum, si, uti variorum scriptorum acta, ac tabulas consulimus, ita Lemosianam de Calvini sententia disputationem verbis aliquantulum discrepantibus enarravimus, quorum tamen unus, idemque sensus extet? Apud utrumque enim haec Lemosiana disputationis summa est: Calvinum aliter de Adam ante peccatum, aliter post peccatum statuisse: & ante peccatum quidem libertatem in homine agnovisse, quod Deum nullo efficaci decreto, quid ille acturus esset,

set, determinasse, sibi fingeret: post peccatum, minime, ob Divinorum scilicet decretorum, auxiliorumque efficacitatem, quibus lapsus hominem regit, ac movet. Atque hac apertissima, quidquid in contrarium musites, Calvinii sententia est lib. 1. Institutionum, cap. 15. *Animam hominis Deus mente instruxit, quae bonum a malo, justum ab injusto discerneret. . . . In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam aeternam. . . . donec, se ipsum perdendo, bona sua corripuit.* Et lib. 2. cap. 1. *Libero arbitrio pollebat homo in prima conditione creationis, quod lapsus suo non amisit.* Quibus Calvinii locis permotus Cardinalis Bellarminus lib. de gratia primi hominis, cap. 1. idem plane de Pseudo-reformatore pronunciat, quod Lemosius inter disputandum dicitur pronunciasse: *Calvinus in eo ponit discrimen inter naturam humanam, qualis initio fuit, & qualis nunc est; quod initio habuisset liberum arbitrium; nunc eo caret.*

Quare & a se ipso, & a positae doctrinae principiis discessisse, convincitur Calvinus, dum lib. 3. Institutionum, cap. 23. abs te laudato, contendit, *Deum non modo praescisse, sed & certo decreto ordinasse lapsus Adam, ac in eo posterorum omnium eusdem arbitrio quoque suo dispensasse.* Eo quoque enim decreto casum Adam ordinasse Deus, ac dispensasse, nisi efficaci? Porro hujusmodi nullum pro statu innocentiae a Calvino positum esse, certo liquet, multisque demonstrat Stephanus Deschamps, Societatis Theologus, libro 1. de haeresi Janseniana, cap. 3. ubi Calvinum auxilia efficaciam (quae decreta efficaciam exequitur Deus) a statu innocentiae plus vicies eliminasse, disertissime profiteretur. Neque mirum videri debet, Pseudo-reformatorem eo in capite semetipsum aperta contradictione, dicentiumque repugnantia impicuisse: quandoquidem Nicolaus Romanus libro, qui titulus: *Calvini effugio* spect. 9. & 10. libros Institutionum nil, nisi antilogiarum, & contradictionum centonem esse, multis evincit, numeratque viginti primarias, & capitales, confectarias vero supra sexcentas: & Jacobus Gualterius in *Anatome Calvinismi*, ducentis dilemmatibus, ex ejusdem Calvinii principiis, vel assertionibus magna ex parte delibatis, universas illius haereseis debellat, atque profligat.

Hinc intelligere facile est, quem sensum ea Lemosii verba, ex Coronelli Actis excerpta, praeseferant, quae tu, velut inepta, audacissime cavillaris: *Non dixit Calvinus, illam praescientiam, qua Deus vidit Adam peccatum, abstinisse ab illo libertatem: quia constituat Calvinus illam praescientiam ante peccatum ipsum, factum ex humana libertate.* Si autem posuisset Calvinus illam praescientiam post tale peccatum, utique dixisset, *illam latere libertatem.* In primis enim, dum libertatem Divina praescientia laedi juxta Calvinum, asseruit Thomas de Lemos, non qualemcumque praescientiam intellexit, sed decreto efficaci, & infallibili nixam, quam unam libertati officere, docuit novae reformationis Architectus. Nec illam rursus Calvino statuitatem asseruit Vir eruditus, ut illum opinatum, dixerit, *non tolli libertatem per praescientiam, si haec peccati commissionem antecedit; tolli vero, si subsequatur:* quem tu verbis ejus sensum affingis, omnium ineptissimum, cum pugnet plane, praescientiam, quae futurorum duntaxat est, rem ipsam subsequi, quae praescitur. Sed id Calvinum opinatum, dixit Lemosius, quod re ipsa est opinatus; non tolli scilicet libertatem per praescientiam, si sit de statu hominis ante peccatum; tolli vero, si sit de statu hominis post peccatum. Cujus utique ratio est, quia, pro statu naturae innocentis, nulla Calvinus decreta ef-

ficacia agnovit in Deo, quae liberum arbitrium laedi, existimabat: agnovit vero pro statu naturae lapsae.

In secunda Disputatione, quae quartam sub Paulo V. Congregationem tenuit, ubi primum coram ipso de Gratia se ipsa efficaci, ac physice praedeterminante, ex instituto dictum est, duo tantum a te in medium proferri, video, quae datae a nobis Historiae fidem impetant: 1. Dominicanos incredibilem molestiam affectisse inopinatum Pontificis mandatum, quo de gratia physice praedeterminante disputari jubebatur. 2. Pontificem Baptistae praesentationem, eo in confesso habitam, approbasse. Tantum abest, ut (quod fingit Historicus) hanc ipsam, velut acerbiosem, suggillaverit. Verum, ubi productum a te facti utriusque testem quaero, nullum invenio; sed meras nugae, declamationes, inania in Dominicanis facta convicia: tanquam articuli hujus examen sibi periculosum arbitrentur, aut supervacuum, inutili-lemque questionem existimarent, quam unica paucarum horarum disputatione dirimi vellent. Nos inanibus verbis, nullo refte, nullo auctore iactatis, testem objicimus omni exceptione majorem, ipsum Congregationum Notarium, Coronellum, qui Pontificis mandatum Jesuitis, ac Praedicatoribus denunciavit; ejus in Actis oppositum legere est. Quamvis saepe alias, inter Patres Praedicatorum, & Societatis, concertationes de Christi gratia, & ejus efficaciam habita fuerint, & sermo de illa instituta disputationes, sub felicis recordationis Clementis Papa VIII., quoniam tamen Patres Societatis pro- vocarunt ad peculiarem aliquam de eadem re disputationem, idque instanter postularunt etiam nunc a Sanctissimo Domino nostro; quod et Patres Praedicatorum sibi gratissimum fore, re dixerunt: re acquisivisse perpetua, quaestio, nem ea de re proposuit, &c. Immo, si qua Francisco Pegnae, Rotae Romanae Decano fides est, Jesuita potius, eo accepto mandato, incredibili molestia sunt affecti, novaque, ut moras necerent, suffugia quaerere. Die Veneris, inquit ille in Diario Disputationum, 23. Septembris 1605. SS. D. N. Paulus V. per Patrem Gregorium Coronellum, Congregationis Secretarium, novum dubium super efficacia gratiae, quod finem cause imponebat, Cardinalibus, & Consultoribus denunciari, precepit. . . . Patres Jesuitae, recepto hoc dubio, valde suspirare coeperunt; quia omnes eorum artes, & equivocationes, quibus tot annis Ecclesiam Dei deceperant, aperiebantur, & dissolvebantur. Quoniam ad solita diffugia confugientes, dilationes quaerebant; & denique inducias unius hebdomadae a Sanctissimo, intercedente D. Cardinali Pinello, obtinuerunt. Interim metum Sanctissimo incurere multis modis adveniunt. &c. Na tu, quaeso, honestis de trivio mulieribus similis, quae, ne suo ab amulis vocentur nomine, easdem conviciis primum occupant? Ecce, accepto Pontificis edicto, ut de gratia se ipsa efficaci ex instituto disputetur, Jesuitici Sodales animo concidunt, moras necunt, suffugia quaerunt, Pontifici metum incurere adnuntiant: tu vero, ne id tibi, tuisque illudat in faciem, Praedicatorum confertatos, ac sibi male metuentes, effutis. Quodque lepidius, est, Congregationis Notarium, qui, propositum disputationis Argumentum, gratissimum Praedicatoribus accidisse, contestatur, falsi postulas; quod eodem orationis textu illud etiam addiderit, *saepe alias, de Christi gratia adjuvante, & ejus efficaciam, concertationes habitas fuisse, & sermo de illa instituta fuisse disputationes, sub felicis recordationis, Clemente Papa VIII. Quidni vero illud quoque significasset, quod certissimum esse, liquet? Annon enim*

(1) 1. p. 9. 14. disp. 2. art. 7.

enim ea de re serio disputatum coram Censoribus, die 9. Aprilis 1601, dum de decima septima Molinae propositione quaestio fuit: An, quod auxilium efficax, aut inefficax sit, tribuendum sit libero arbitrio, an ipsi auxilio, sine Deo, efficaciter, aut inefficaciter per illud moventi? An non ea de re serio disputatum die 16. Aprilis ejusdem anni, ubi de decima octava Molinae propositione quaestio venit: An, quod liberum arbitrium consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, ab innata, & propria libertate id pendeat, an a qualitate auxilii, & motus Divini? An non serio disputatum hac ipsa die, ubi decima nona Molinae a se serio in disputationem venit: An, si Deus ita praedefinit omnes actus non malos arbitrii creati, ut ad eos movere, & determinari statuerit arbitrium per concursum ex se efficacem, sine quo arbitrium non potest illos elicere, & quo posito, non potest eos non elicere, manifeste porat liberi arbitrii libertatem? Neque est, quod memet Coronello contrarium dicitur, quia lib. 3. cap. 44. observavi, Societatis Theologos, quoties ea de re differendi se dabat occasio, aut ad id sponte ducebat disputationis argumentum, toties quaestionem hanc in aliud tempus differri, supplicasse. Si enim vel ad ipsum capitis titulum oculos intendisses; id a me de quinto caute hujus examine, quod, praesente Clemente VIII., institutum est, singulariter dictum observasses: cum Coronellus universum de instituti sub Clementis Pontificatu disputationibus sermonem habeat. Cohærent autem ista duo vel maxime, saepe alias, sub Clemente VIII., ac coram delegatis ab eo Censoribus, de gratia adjuvante, ejusque efficacia fuisse disputatum; ac tamen in Congressibus, praesente subinde Pontifice celebratis, quaestio hujus tractationem declinasse Socios, quoties ea de re differendi se dabat occasio, quod peculiarem eo de argumento tractationem institui vellent. Qua autem temeritate iactes, propositam tandem a Paulo V. de gratia se ipsa efficaci tractationem, a Dominicanis, veluti rem supervacuam, nihilque ad controversiam pertinentem, fuisse existimantam; Dominicanis Actoris verba, quæ tunc disputandi initium fecit, in propositum, & modo relatum, quod brevi compendio universam hanc materiam, & primam, ac fundamentalem radicem, & quoad rem, & quoad vocem clarissime proponit, & clarius manifestat, duplici conclusione respondeo, &c. Nempe, ut vides, totius controversiæ radicem, ac fundamentum appellat, quam facilem, nihilque ad controversiam pertinentem quaestionem, ab eo dictam, comminisceris.

Paris futilitatis, & audaciæ est, prosum a te de Bastida præfatione, commentum alterum. Hujus enim proludii pars erat veluti gemina: prior, quaestio, a Paulo V. proposita, gravitatem representabat, quam non una paucorum horarum velitatione examinari, opus esset; atque hanc, ut a Prædicatoribus, ita & a Pontifice probatam, innui, (2) a quo tot congressus benigne concessos, dixi, quot ventilandæ quaestioni sufficerent: altera, in Consultores petulantius declamabat, tanquam, præjudicata quodammodo causa, ad audiendum accederent; multaque in eos probra iaciebatur, quæ tu ipse, ne declamatoris petulantiam lectores deprehenderent, cate, ac de industria fuccidisti: & hanc vero proludii partem, utpote acerbioram, a Pontifice suggillatam dixi, non finxi, uti temere calumniaris. Hujus liqui-

dem auctor mihi est Lemosius in Actis col. 1025. Bastida in Censuris graviter infremuit, dicens inter alia multa, se scire, accedere se ad disputandum coram Censoribus, jam determinatis ad unam partem, quoad damnandam eorum sententiam, quia jam declaraverant, & juramento firmaverant. Immo dicebat, se disputare de re, quæ jam determinata dicebatur, atque publicabatur. Et cum multo tempore in his, & similibus immoraretur, quibus valde ardentem, non attendens ad loci gravitatem, procedebat, Summus Pontifex gravissimè illum reprehendit. Ostendens enim, quam acre tulisset ea, quæ tam irreverenter proponebantur, dixit hæc verba: (3) „ Responde al dubio, & lasciate queste cose, lasciate, te queste invettive: a che proposito si fanno queste invettive? Volete sapere ciò, che noi non pensiamo? Nelle Congregazioni vederemo, se vi ferviranno.“ Quæ verba cum imperio, & animi amaritudine, & voce, & nutibus, semel, iterum, atque tertio repetebat. Ita Lemosius: cuius tamen, aut cuiusvis alterius suffragio non est opus, ut plenam livoris, & odii in Censores infestationem, Paulo V. minime probatam, intelligamus. Qui enim Consultoriorum officium illis ad extremum usque prorogavit, satis profecto perspicuum dedit, nullam se injustæ accusationis rationem habuisse.

In tertia disputatione, ubi de gratia se ipsa efficaci speciatim ex Sacris Litteris actum est, Historiæ meæ fidem uno duntaxat in capite lubricam dicit: Incredibile esse, inquit, quod Historicus refert, Pontificem, audita priori Bastidiana Oratoris parte, tædio solum, monuisse Lemosium, ut responderet. Nempe, ut video, quidquid palato non sapit, fidem exsuperat. Sed enim non id a se ipso Historicus reulit, sed ex Notarii commentariis, cuius verba distentissima recitavit, ac Italico etiam charactere distinxit. Notario consentit Lemosius in Actis col. 1062. Cum in hoc probando, seu explicando, idem semper dicendo, nimium temporis consumpsisset, Sanctissimus id ægre ferens, cum animi amaritudine illum reprehendit, & graviter, dicendo, quod eadem semper repetebat, & fastidium generabat, præcipiens, ut breviter diceret, & putaret, quod cum hominibus sapientibus, & intelligentibus loqueretur. Quis ergo id incredibile dixerit? Aut quis publicis tabulis fidem non adjungat potius, quam Eleutherio simpliciter distentit?

In quinta disputatione, ubi de mente S. Augustini quaestio fuit, totus in expendendo dogmate, vellicandisque Lemosii probationibus occupatus, duo in gratiam Historici revocas in memoriam: 1. Natalis Alexandri, mei quondam Præceptoris, pronunciatum, a te milles recantatum, de gratia prævenienti, ad initium salutis, & fidei a Semipelagianis explosa, & de illorum a Moliniana discrepantia. 2. Breve Pontificium Innocentii XII., Theologis Lovaniensibus inscriptum, die 6. Februarii 1694, quo celebrem de gratia se ipsa efficaci controversiam incurrentibus quaestionibus adnumerasse dicitur, quas Coelestinus I., uti contemnere non est ausus, ita necesse non habuit adstruere. Quod hæc in memoriam revoces, gratias ago, ac ne illo urbanitatis officio vincar, in gratiam pariter Eleutherii in memoriam revocabo, quæ lib. 4. cap. 4. & 5. de eo Innocentii rescripto, Lovaniensibus dato, deque pervulgata Coelestini ad Gallos Epistola disputavi: necnon quæ hocce Lib. 5. sect. 4. cap. 3. & sect. 6. cap. 3. de Natali Alexandro, deque

admissa a Semipelagianis interiori gratia, observavi; ut intelligas, quam inutilem, in iisdem nanis recinendis, operam ponas.

In septima disputatione, qua Thomistica, & Calviniana doctrina collatio a Moliniano Actore tentata est, infauti nescio quid ominaris; quod nulla de illius exitu Consultorum judicia Historicus adnotavit: cum tamen in cæteris quibusque congressibus, quid de re disputata Censores statuerint, ex ipsis Notarii tabulis subjicere soleat. Verum, si animadvertisses, Bastidam tertiam duntaxat confarinatæ collationis partem in solemnique congressu recitasse, nec ad alias, ob nimiam Scripti prolixitatem, progredi potuisse; (1) quin etiam opportunum judicasse Paulum V., ut integro Scripto, per Consultorum manus misso, res tota (dum interim Disputatores ad rationes Theologicas gressum facerent) maturius, ac per otium expendere: facile comperisses, quorsum nulla illic Consultorum judicia de re, necdum tunc integre ventilata, subiecta fuerint; quæ tamen suo subinde loco adjecta sunt. Quia porro admiratione dignum putas, quod male confutam Calvinianæ, ac Thomisticae doctrinæ Collationem, a Lemosio triplici scripto, ac demum integro volumine confutam, dixerim, (2) nec tamen illorum aliquod Historicæ Appendici inferuerim; ut familiaris, tritaque calumnia refellatur, votis in præsentia satisfaciatur; quodque tunc primum Paulo V. porrectum est a Lemosio, in Appendice representabo, de quo ita Coronellus præfatur in Actis: „ Die 13. Februarii, anno Domini 1606. Patres Prædicatorum obulerunt Sanctissimo D. N. Opusculum quoddam, quod ita ad singulas propositiones Collationis, editæ a Patribus Societatis, respondebant, ut inter Catholicorum Doctorum sententias, & execrabiles Calvinii errores, ab eo quidem contra humani arbitrii libertatem impie assertos, sed ab Ecclesia Catholica æquissime condemnatos, patentissimum discrimen constituere, profiterentur. Quod cum Sua Sanctitas oculis lustrasset, Patribus Secretariis præcepit, ut protinus exemplaria illius fieri curarent, quæ tam Illustrissimis DD. Cardinalibus, quam DD. Consultoribus exhiberent: ut omnes diligenter penderent, an ad objecta plene ab illis responsum, & cumulate satisfactum esset. Rem, Patres Secretarii, prout in mandatis habuerunt, brevissimo temporis spatio confectam, ad Sanctissimum D. N. detulerunt, quam sibi gratissimam fuisse, significavit; voluitque, ut ejusmodi Opusculi exemplar hic apponeretur. Sic autem habet: Bellum, quod olim &c.“

In nona Disputatione, quam totam Paulus V. expendendæ D. Thomæ menti dicari voluit; duplicis falsitatis incurfor: 1. Quod scripserim, Bastidam palam fuisse professum, decretorum esse D. Thomæ testimonium quaest. 3. De potent. art. 7. ubi docet, Deum, per aliquod voluntati impressum, proprie applicare, & determinare voluntatem ad agendum: eoque confugisse, ut nihil simile in reliquis ejus Operibus, ac præsertim in Summa Theologica reperiri, diceret. 2. Quod ibidem ad marginem adnotaverim, idem falsum esse Suarezium lib. 1. De concursu Dei, cap. 11. & in Opere posthumo De vera intelligentia Auxilii efficacis, cap. 40. idem & falsum Bellarminum lib. 4. De gratia, cap. 16. idem Collegium Conimbricense lib. 2. phys. cap. 7. quaest. 13. Miror criminacionis audaciam. De primo enim nihil a me ipso dixi, sed ex publici Notarii fide, cuius hoc in capite summan reddidi; Lemosio etiam suffragante, cu-

Serry Tom. II.

jus in Actis, hoc idem a Bastida concessum, legitimus: Circa inducta testimonia, ait ille col. 1315. a Fratre Thoma pro veritate, plurima multiplicabat, minus tamen ad propositum: & in particulari dicebat, quod S. Thomas in quaestibus De veritate (quas inter extat quaest. 3. De potentia) consuebat tantum illud impressum voluntati, quo Deus illam applicat, atque determinat, non autem hoc dixisse in Summa. Et paucis interjectis, Bastida Responso refellens: Quod autem dicit, S. Thomam tantum in quaestibus De veritate, non autem in Summa docuisse, Deum, per aliquod voluntati impressum, proprie applicare, & determinare voluntatem; falsum omnino est. Quia S. Thomas 1. part. quaest. 105. art. 5. in corp. & ad 3. ita dicit &c. Alterum a me ipso ad marginem adnotatum de Suarezio, Bellarmino, Conimbricensibus, contact longe certius, nec nisi a professo cavillatore in dubium verti potest. Quid enim ea sibi Suarezii verba volunt, in Opere posthumo De vera intelligentia Auxilii efficacis cap. 40. Oclaros, & celeberris locus est ex quaest. 3. De potent. art. 7. ad 7. ubi D. Thomas ait, „ Id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est intentione sola, habens esse quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis: per que verba plane docet, Deum influere cause secundæ aliquam virtutem realem, & fluentem, quam intentionalem vocant. Per illam ergo intelligit, Deum determinare causam secundam, & uti illa, tanquam instrumento, ad ejus operationem. De quo loco ingenue rateor, DIVUM THOMAM IBI ITA SENSISSE. Credimus tamen, eum in sua sententia non permansisse: quia neque in Summa, neque in aliis Libris Sententiarum, & contra Gentiles, illum causalitatis modum Deo attribuit? Quibus paria omnino habet Suarezus lib. 1. De concursu Dei cum voluntate, cap. 11. & dist. 22. Metaphysicorum, section. 2. §. 51. & 52. Quid illa rursus Collegii Conimbricensis observatio lib. 2. physicorum, cap. 7. quaest. 13. cuius hic titulus est: Utrum Deus aliqua prævia ratione causas secundas ad agendum excitet? Initium vero sic habet: Circa modum, quo Deus cum causis secundis ad eorum operationes, & effectus concurrat, discutienda se offert CELEBRIS OPINIO D. THOMÆ 1. part. quaest. 105. & 1. 2. quaest. 109. art. 7. & quaest. 3. De potentia art. 7. ejusque sectatorum. Capreoli in 2. dist. 1. quaest. 2. Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 70. & aliorum, existimantium, omnes causas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quandam, & motum, qui sit quasi intentionale virtutis Divinae, quo ad promendas actiones excitentur; eo modo, quo artium instrumenta, ut dolabra, & securis, prævia motionem a fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicentur? Quo Conimbricentium loco hæc ipsa sententia Doctori Angelico adjudicatur, quaest. 3. De potentia art. 7. Quid illud demum Cardinalis Bellarmini pronunciatum, loco, a me ad Historiæ marginem indigitato, quarto videlicet libro De gratia, & lib. arb. cap. 16. „ Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione Divina, & fortasse etiam probabilior, est juxta sententiam S. Thomæ; qui docet, cooperationem Divinam ita concurrere cum causis secundis etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet „ ad opus: ut cognosci potest ex 1. part. quaest. 105. art. 5. lib. 3. contra Gentes cap. 70. & quaest. 3. De potentia. Quæ sententia videtur valde consentanea tum Scripturæ, qua dicit,

S

nos

(1) Acta Lemosii col. 1031. (2) Lib. 4. cap. 4. (3) Respondere ad dubium, & ab his omnibus abstinere: procul hinc acerbitates hujusmodi: cui bono tot cruda verba? Sicine alienos animi sensus introspicere vultis; atque illos etiam, quos nequidem animo gerimus? An isthæc vobis prolire, videbitur in Congregationibus.

(1) Lib. 4. cap. 14. (2) In Additis ad Historiam, col. 143. nunc vero lib. 4. cap. 13.

„ nos in Deo esse, vivere, & moveri, Actorum
„ 17; tum etiam rationi, & ordini, quem habet
„ causa prima cum secundis?

Sed audiamus cavillatorem, tam disertæ testi-
monia elidere aggredientem. Bastida, inquis, id
unum Lemosio concessit, ex quæst. 3. De potentia
art. 7. id, ut summe, colligi posse, Deum move-
re, & applicare voluntatem per aliquid prævium;
cujus oppositum locis aliis innuit Doctor Angeli-
cus: minime vero concessit, prævium illud, quod
a D. Thoma eo loci traditum, factus est, talis
naturæ esse, ut cum eo voluntatis dissensus conjun-
gi non possit, qualis est physica gratiæ prædetermi-
natio. Ecce ergo, rogo te, subjungebat Bas-
tida, intelligi non posse, qualiter ista applicatio
prævia determinans (quam eo saltem loco a Do-
ctore Angelico traditam, ferebatur) non auferat
hominis libertatem? Nisi enim hæc talis naturæ po-
natur esse, ut cum ea voluntatis dissensus conjun-
gi non possit, nemo in ea cum libero arbitrio con-
cilianda difficultatem patietur, quantumvis eam
præviam esse, supposuerit. Ad hæc, motio illa,
& applicatio prævia, quam a D. Thoma eo loci
agnitam concedebat Molinianus disputator, phy-
sica plane est, qualis nimirum artium instrumen-
tis imprimitur, dum ad opus faciendum appli-
cantur. Quis porro neget, motionem præviam,
atque physicam, esse physicam præmotionem, seu præ-
determinationem? Aut quis diffideatur, hujus ge-
neris determinationem, atque motionem, talis,
ex D. Thomæ sententia, esse naturæ, ut cum ea
voluntatis dissensus conjungi non possit? Quando-
quidem hoc ipsum millies contestatur, 1. 2. quæst.
10. art. 4. ad 3. „ Si Deus movet voluntatem ad
„ aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad
„ illud non moveatur. Quæst. 102. artic. 2. Alio
„ modo potest considerari, secundum quod est a
„ Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id,
„ ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactio-
„ nis, sed infallibilitatis. Et 2. 2. quæst. 24.
„ artic. 11. Impossibile est, hæc duo esse vera,
„ quod Spiritus S. velit, aliquem movere ad ac-
„ tum charitatis, & quod ipse charitatem amit-
„ tat peccando. „ Ac ne quis putet, eam infalli-
„ bilitatem aliunde, quam ex motionis efficacia, or-
„ tum ducere, dubium omne submoveret quæst. 6. De
„ malo, art. unico, ad 3. „ Deus movet volunta-
„ tem immutabiliter propter efficaciam virtutis
„ moventis, quæ deficere non potest: sed propter
„ naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se
„ habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed
„ manet libertas.“

Haud multo felicis Suarezium abfolvis, quem
id unum concessisse vis, quod a Bastida unice con-
cessum, dixisti. Is enim loco, a me paulo antea
recitato, ex Opere posthumo, De vera intelligen-
tia auxilii efficacis, cap. 40. ex expendens D. Tho-
mæ testimonia, quæ nisi nonnulli sententiam eidem
attribuunt de gratiæ efficacis de se, prædeterminante
physice voluntatem, celebrem locum ex quæst. 3.
De potentia, art. 7. ad 7. octavo loco ponit, ex
eoque plane colligi, asserit, Deum motione præ-
via, atque fluente determinare causam secundam,
eademque, tanquam instrumentum; ut, ad ejus
operationes extendas: quod unum physicæ præ-
determinationis nomine Theologi nostrates intelli-
gant: nec aliud habet Suarezius, quod objiciat in
oppositum, nisi, Credimus tamen, eum in sua sen-
tentia non permansisse, quia neque in Summa, ne-
que in aliis libris Sententiarum, & contra Genti-
les, illum causalitatis modum Deo attribuit. Quid
illud porro est, nisi physicam prædeterminatio-
nem, aut certe quod physicæ prædeterminationis
nomine Thomistæ intelligunt, a D. Thoma, ea
saltem quæstione 3. De potentia, traditum profi-

teri? Idem verbis, aliquantulum immutatis, fas-
sus est Suarezius lib. 1. De concursu Dei cum
voluntate, cap. 11. nec nisi fictitiam Doctoris
Angelici retractationem objicit: *Mibi sit valde
credibile, D. Thomam retractasse, quod in quæstio-
ne illa de potentia dixerat, ubi eandem quæstio-
nem, quam prima parte, versans, præter illos tres
modos concurrentis ponit quartum: quod causa secun-
da per virtutem instrumentalem fluentem agat, ut
instrumentum primæ causæ. . . . Unde colligo, D.
Thomam, doctorem factum, omisisse sententiam illam
de virtute fluente &c. Quare lectores turpiter lu-
dis, dum ista Suarezii verba ex hoc ipso capite
11. recitas: Nunquam in D. Thoma reperies, Deum
prædeterminare voluntatem, nedum physicæ prædeter-
minare: quasi Generali illo pronuntio significaf-
set, nullo plane D. Thomæ Operum loco, phy-
sicæ prædeterminationis vocem, ac ne ipsam quid-
dem substantiam dogmatis reperiri. Suarezium
quippe consulenti perspicuum est, id ab illo unice
dictum de postremis D. Thomæ Operibus, unde
varia illic testimonia colligit, ut evincat, doctro-
rem factum omisisse sententiam illam de virtute flu-
ente, quem quæstione 3. De potentia tradiderat.*

Quo loco, siquidem materiam subjicis, tempe-
rare mihi non possum, quin pessimam Suarezii fi-
dem, in viriandis, & corrupendis D. Thomæ
testimoniis, in omnium oculis ponam. Institu-
tum illi fuerat demonstrare, Doctorem Angeli-
cum lib. 3. contra Gentes, cap. 70., cæteris re-
centis Dei cum causis secundis concurrenti mo-
dis, alterum illum, quæstione 3. De potentia me-
moratum, alio silentio prætermisisse, quod scilicet
Deus causas secundas, impressa ipsæ fluenti vir-
tute, atque motione, tanquam instrumenta sua,
movere dicitur. Id porro ut evincat, tum lau-
dato libro De concursu, cap. 11. tum disput.
22. Metaph. sect. 2. §. 51. ita, constanti mutilatio-
ne, Doctoris Angelici verba reddit: *D. Thomas 3.
contra Gentes cap. 60. sic scribit: „ Virtus inferioris
„ agens pendet ex virtute superioris agen-
„ tis, in quantum superius agens dat virtutem
„ ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel
„ conservat eam. „ Unde inferior sic colligit:
„ Oportet igitur, quod actio inferioris agens
„ non solum sit ab eo per virtutem propriam,
„ sed per virtutem superiorum agentium; a-
„ git enim in virtute omnium. „ Sic ille Do-
ctorem Angelicum loquentem inducit. Id ve-
ro quis legat, ac non itacim existimet, D. Tho-
mam duo duntaxat eo loci statuisse, collationem
scilicet virtutis activæ, & illius conservatio-
nem: ab altero autem, quod in 3. quæstione De
potentia posuerat, (motu scilicet, instar instru-
mentariæ virtutis, causis secundis impresso) peni-
tus temperasse? Et tamen illud ipsum est, quod
interjecta periodo, fide pessima a Suarezio refe-
cta, disertissime docet sanctissimus Doctor. Ita
quippe integer locus habet: *Virtus inferioris agen-
tis pendet a virtute superioris agens, in quan-
tum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agen-
ti, per quam agit, vel conservat eam, AUT ETIAM
APPLICAT EAM AD AGENDUM, SICUT ARTIFEX AP-
PLICAT INSTRUMENTUM AD PROPRIUM EFFECTUM,
CUI TAMEN INTERDUM FORMAM NON DAT, PER
QUAM AGIT INSTRUMENTUM, NEC CONSERVAT,
SED DAT EI SOLUM MOTUM: Oportet igitur, quod
actio inferioris agens non solum sit ab eo per
propriam virtutem, sed per virtutem omnium superio-
rum agentium: agit enim in virtute omnium &c.
Tantæ molis erat, Doctori Angelico palinodium
assingere, quæ pristinam sententiam, senior fa-
ctus, & doctor, silentio saltem suo revocasse vi-
deri posset; ut ob id extrema ejusdem Opera trun-
care, ac mutilare, necesse fuerit.**

Paris

Paris utilitatis est, quod de Collegio Conim-
bricensi subjungis: Nulla ratione factum esse, mo-
tionem illam præviam, a D. Thoma positam
quæst. 3. De potentia, art. 7. esse quid physicæ
prædeterminans ad unum. Quid enim est, amabo
te, prævia motio, qua artium instrumenta ad opus
conficiendum applicatur? An non physica? An
non ad unum prædeterminans? Hujus tamen ge-
neris motionem, a D. Thoma eo loci positam,
Conimbricenses agnoscunt: quamquam in causis
liberis cum potestate ad oppositum prædetermi-
natio illa conjuncta sit. Accedit disertissima
Cardinalis Bellarmini contestatio, præviam mo-
tionem a Doctore Angelico agnitam in quæ-
stionibus de veritate, & ipsam physicam esse,
atque ad unum determinantem: *Observandum est,
inquit lib. 4. De gratia, & lib. arb. cap. 11.
posse quatuor modis voluntatem a Deo inclinari ad
aliquid appetendum, vel fugiendum: primo EFFI-
CIENTER, ET PHYSICE, IMMEDIATE ILLAM MO-
VENDO, ET DETERMINANDO AD UNUM: nam si
potest ipsa se determinare; cur non possit etiam Deus
eam determinare? Secundo EFFICACITER quidem, sed
mediante aliqua forma, quam inprimis in volunta-
te; nam infundendo gratiam, & virtutes, per eas
inclinat voluntatem ad bonas actiones. Et hoc mo-
dos notavit D. Thomas quæst. 22. De veritate artic.
8. Neque refert quod eodem lib. 4. cap. 16. scrip-
serit Bellarminus, Voluntatem esse liberam, ac se
ipsam determinare, tamen si Deus illam moveat, &
applicet ad opus, Hanc quippe loquendi for-
mulam perinde usurpant Thomistæ nostrates,
uti nihil statuto dogmati repugnantem; qui-
bus perspicuum est, duo hæc apprimè coha-
rere: Voluntatem, uti secundum agens, sua-
ptè natura liberum, semetipsum determinare; si-
mulque a Deo, uti motore omnium primo,
determinari: quia, ut scite monet Doctor An-
gelicus 1. part. quæst. 105. art. 4. per hoc, quod
voluntas moveatur a Deo, non excluditur, quod mo-
veatur a se.*

Quapropter Goneto nostro audacter assingis,
ejusque verba, quo minime pertinent, sede de-
torques, dum illum in Apologia Thomistarum,
cap. 6. num. 98. ingenue factum, harricolaris, Bel-
larminum, loco, a me paulo ante laudato ex lib.
4. Controvers. cap. 16. non tribuisse Doctori An-
gelico physicam prædeterminationem, recentium
Thomistarum sensu acceptam; quin & illum li-
bere contestatum, minus probabile esse, & a Tho-
mistis, aliisque gratiæ per se efficacis defensoribus
communiter rejecti, quod Bellarminus habet hoc loco.
Assingis, inquam: quandoquidem Thomisticæ do-
ctrinæ caput, eo loci a Bellarmino traditum, scri-
bit Gonetus: *illumque, non nisi quoad certam
aliquam appendicem, a communi Thomistarum
sententia recessisse, monet. Goneti verba subji-
cio, ut impacta erudito Viro calunnia in propa-
tulo sit. „ Bellarminus lib. 4. cap. 16. sententiam
„ Thomistarum, ut probabilem amplectitur his
„ verbis: Altera ratio conciliandi libertatem hu-
„ manam &c. Addit tamen ibidem, morum, seu
„ applicationem, quæ voluntas efficaciter move-
„ tur, & applicatur a Deo, pendere a negativa
„ quadam dispositione, quæ homo Deo non reli-
„ quit, sed finit, se ab illo moveri, & ap-
„ plicari: & per hoc humanam libertatem
„ cum Divina motione conciliat. Ubi licet,
„ quod addit ad conciliandam libertatem, minus
„ probabile sit, & a Thomistis, aliisque gratiæ
„ per se efficacis defensoribus, rejiciatur commu-
„ niter; eo quod D. Augustinus lib. De prædest.
„ SS. cap. 8. dixerit, negationem resistentiæ esse
„ effectum ipsius gratiæ efficacis; non vero dispo-
„ sitionem ad illam requisitam: constat tamen,
„ Serry Tom. II.*

„ Bellarminum sententiam D. Thomæ probabilio-
„ rem existimasse. „ Quæ omnia non hic ego
commemoro, urgeoque, quasi Bellarminum, sibi
in eo tradendo dogmate ubique consentientem,
existimem; aut ejus Controversias, Moliniani
fuligine reperfus, ignorem; cum potius eundem,
in figenda sententia, cochurno versatiorum ex-
pertus sim; ejusque Controversias, a Germanis
Editoribus interpolatas, ostendit lib. 2. cap. 1.
atque hic sect. 3. cap. 6. sed ut intelligas, Bel-
larminum loco saltem, a me ad Historiæ margi-
nem indigitato, Thomistico dogmati subscri-
pisse.

In decima, eademque postrema disputatione,
ubi de gratiæ se ipsa efficaci, ex Theologorum
auctoritate quæstio fuit, identidem culpatur Hi-
storius, quod contra Lemosianorum Actorum
fidem multa fixerit, affixeritque Lemosio, quæ
nunquam dixit: unde & lectori judicandum re-
linquitur, „ An Editores Actorum Lemosiano-
„ rum, in iis corrupendis, scrupulosos fuisse,
„ censendum sit, quando Auctores Historiæ, quæ
„ sub Augustini le Blanc nomine prodit, ea-
„ dem Acta, quæ jam publici juris facta sunt,
„ tam turpiter audent corrumpere. „ Crimina-
„ tionis insultatorem ridebit, opinor, qui vel levi-
„ ter observavit, Historicum, non ex Actis Lemo-
„ sianis, sed ex Coronelli, Congregationum Nota-
„ rii, Commentariis, disputationum epitomen ador-
„ nasse; ad quos idcirco conferenda narratio est,
„ ut de Historici fide judicium statuat. Quis
enim censorem illum non rideat, qui expressam
E. G. ex Eusebii libris historiæ epitomen
pessimæ fidei postulare, quod non omnino cum
Theodoretis, aut Sozomeni narratione conveni-
ret? Eia tamen, & quæ mala fide Historici
fixerit, affixeritque Lemosio, videamus.

Primum malæ fidei specimen esse, vis, in ista
Joannis de Bononia sententia recitata: „ Hujus
„ œcumenici Concilii Tridentini clarissimum do-
„ ctorem obsecrare quodammodo, conari viden-
„ tur, dum dicunt, habere hominem libertatem
„ arbitrii, ut excitationi, admonitionique Divi-
„ næ resistere possit: sed his Divinis inspiratio-
„ nibus suppositis, nullum resistere arbitrium &c.
„ Ubi notandam, ais, Historici artem, qui ut
„ Lutheranos, & Calvinianos, non item Thomis-
„ stas, gratiæ se ipsa efficacis assertores, a Joanne
de Bononia eo loci impugnatos, lectores existi-
„ ment; antecedentia verba succidit, quæ ille
aperte significat, se homines, omni pietate præ-
ditos, impugnare. Ecquæ vero est illa Historici
ars, si in hunc plane modum Joannis de Bononia
sententiam a Lemosio recitatur, referunt Coro-
nelli Commentarii? Sed neque Lemosii calli-
ditas fuit, quod superiora verba non recitaret:
cum nec illud sacro Confessui persuadere veller,
Lutheranos duntaxat, & Calvinianos a Joanne
de Bononia perstringi; facileque concessurus esset,
viros etiam, pietate, ac religione præstantes, ab
eo reselli; modo tamen illud obtineret, quod fa-
cillimum erat, Gratia se ipsa victricis defensores
ea Joannis de Bononia sententia minime peti.
Et certe Viros pietate præditos carpit Joannes
de Bononia, qui docent, excitationi, admonitioni-
que Divinæ resisti posse, at nunquam se ipsa resi-
sti; quorum sententiam in Synodo Tridentina
rejectam, ait. Quis porro excitationis, & admo-
nitionis nomine, gratiam se ipsa efficacem intel-
ligat, ac non potius sufficientem duntaxat, ac
preparantem? Non itaque Thomistas, efficacis
gratiæ defensores, eo loco percillit; sed quosdam
illius ætatis Theologos, qui secundæ propo-
sitioni Janseianæ præcludere videbantur, quique li-
berum arbitrium nulli, interiori gratiæ, et-
iam

S 2

Iam mere excitanti, & admonenti re ipsa obfistere, contendeant. Quamquam, si de gratia efficaci locutus ostenderetur Joannes de Bonaonia, nulla illi fides danda esset. Quis enim sibi fingat, assertionem hanc: Gratia efficaci nullum resistit arbitrium, a Tridentina Synodo fuisse rejectam, nisi damnatum eo iudicio velit Augustinum ipsum, cuius est illa sententia lib. De corpore & grat. cap. 14. Deo, volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium: & lib. De prædicatione SS. cap. 8. Hoc itaque gratia, que occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo deo corde respuitur: ut sileam Antonini Reginaldi sexcenta ferme momenta, queis gratiam se ipsa efficacem a Tridentinis Patribus agnitam probat. Nec momentum ullum haberet, quod addit Joannes de Bonaonia, habere se ex dictis Rev. D. Hieronymi de Bonaonia, Apostolica Sedis Nuntii, opinionem, in quam disputat loco illo, fuisse summa diligentia a Tridentinis Patribus discussam, & tanquam minus probabilem, optimo jure rejectam. Fieri quippe posset, ut is, imbita opinionis præjudiciis occupatus, Apostolici Nuntii dictum perperam exceperit: & ad gratiam se ipsa efficacem ostentanter detorsit, quod ille de altera quæpiam circa gratiam opinione differerat: Eo ferme modo, quo Cardinalis Bellarminus, domesticis præjudiciis occupatus, quorundam Tridentina Synodi Theologorum dictam perperam intellexit, quodque illi de infano Lutheri errore obiter in collationibus dixerat, de physica prædeterminatione pronunciatum exitimavit. Qua de re sequenti capite sermo erit.

Alterum pessima fidei nostræ specimen ponis in hisce Historiæ verbis: *Adversus Ockamum, Arminensem, & Armachanum, a Bastida productos, exceptiones dedit Thomas de Lemos; quod & minus recte de fide sensissent, & ab Apostolica Sede damnati essent.* Quibus quidem falsitatis, & suppositionis dicam allicias; quia nec damnationis illius Acta Lemosiana meminimus; nec a quo Pontifice, quo decreto, & quibus in articulis, tres illi Auctores damnati fuerint, Historicus memorat. Sed quid, quæso, si forte damnationis hujus Acta Coronelliana meminisset? An ideo culpandus veniret Historicus, quod nihil ea de re in Lemosianis legeret? Audi tamen, quo pacto Lemosium, ad eorum Theologorum suffragia respondentem, repræsentent hæc ipsa, ad que provocas, Lemosi Acta col. 1357. Respondeo, non debuisse Patres Reverendos inducere coram S. Sede Ockam, cum notissimum sit, non esse de ista S. Sede bene meritum; nec Armachanum, quia negavit Dei providentiam circa futura contingentia; nec Durandum, qui Dei negavit formulam, qua Ockamus de Apostolica Sede minus bene meritum dicitur, latam in eum ab Apostolica Sede damnationem intelligi, constat ex Lemosi Panoplia, Tom. 2. tract. 3. De prædest. cap. 41. num. 591. ubi hæc ipsam Theologorum turbam, a Bastida sibi quondam objectam, recollens, ita adversus Ockamum exceptionem dat: *Ockamus autem, quem pro se inducunt, nec nominare debeant; cum enim Joannes XXII, errantem in fide, in suis Constitutionibus notat, & damnat. Nec injuria; siquidem iudicium de Guillelmo Ockamo multo durius pronunciat in Bibliotheca Lucas Wadingus: Vir quidem acris ingenii, sed minime sobrii: plus enim volebat sapere, quam oportebat; nec timuit in cælum os suum ponere, & sacrum depravare Pontificiam, nimiumque extollere Imperatoriam dignitatem. . . . Scriptis intemperanter nimis contra Joannem XXII, Ludovici Bavari adversarium, plurima Opuscula, quorum*

aliqua proscripta sunt, & alia caute sunt legenda. Si sedam hanc maculam non incurrisset, insigni inter Theologos nomine audiret. Quo vel uno Historici fides in tuto ponitur, qui tres illos Theologos singularim damnatos non retulit; sed comparate tantum, minus recte in fide sentientes, & ab Apostolica Sede damnatos observavit, ut sua cuique nota conveniret.

Postromum in hisce Historici verbis exemplum ponis: *Carthagena, & Corduba exsuffragio suffragia Lemosius; cum in hac parte eo usque celsitassent, ut, in piis operibus Divinam constitutionem humana voluntate præveniri, propugnarent; ut vel uno errore suffragio jure exciderent.* Itane vero istud pessima fidei argumentum est? Quid ergo isthæc Lemosi verba sibi volunt, qua perinde in Coronellianis, & Lemosianis Actis referantur?

Quod autem R. Pater induxit pro se ex Scoti schola Cordubam; in primis ipse Corduba fatetur, se tenere contra Scotum; unde non mirum, quod erraverit, Magistrum in hac parte relinquens. Sed jam, quod Reverendi Patres sequuntur Cordubam, vellem, quod loqueretur, clare, sicut Corduba, & fateretur aperte id, quod ex hac doctrina essentialiter sequi, vidit Corduba; Dicit enim, voluntatem humanam prævenire Divinam in hac determinatione. Videant ergo Patres Reverendi, si hoc concedant; quia hoc essentialiter sequitur, ut Corduba expressit. Annon eo responso Corduba suffragium exploditur, quod in extremum Mallilienum errorem dilapsus sit? Frustra vero reponis, Lemosium in verbis Semipelagianum errorem Antonio Cordubensi non asseruisse: quod scilicet in piis operibus humana voluntas Divinam constitutionem præveniat; hoc est, quod dentur opera pia, & salutaria, antequam Deus dare gratiam constituerit. sed aliquid plane diversum, nempe voluntatem humanam prævenire Divinam in hac determinatione; hoc est, voluntatem humanam, postquam per excitantem gratiam preparata est, prius natura se ipsam determinare, quam a Deo determinetur. Belle tu quidem Corduba caput mules, si quo pacto a Semipelagianismo purgari possit: ac non advertis, de Lemosi mente questionem hic esse, num ejus scilicet argumentum sentiam attigerim. Porro Lenosius, ut ex ipsa disputandi ratione conperitur est, istud ipsum quod Corduba tribuebat, Semipelagianum erroris loco habebat, ac tanquam insultum consularium Molinianis objiciebat; quia, eo posito, (Divinam scilicet determinationem humana voluntate præveniri) iniuriam boni operis ex nobis erat; eoque pacto in piis operibus humana voluntas Divinam constitutionem præveniebat: quandoquidem, si prius natura voluntas se ipsam determinat, quam determinetur a Deo, uti Corduba videbatur; prius profecto in æternitate intelligi debet voluntatis determinatio, quam decretum concurrenti cum illa. In iis enim Theologis erat Lemosius, de quibus scribit Vasquezus 1. part. disp. 109. cap. 5. quibus Antonii de Corduba, & Ruardi Tappari sententia videtur Pelagiana; quod dicat, determinationem nostram prius natura esse, quam gratia cooperationem; & ita Pelagianis consentiat, qui bonorum operum initium in nobis esse, dicebant. Quam quidem de Corduba sententia censuram tamen non probet Vasquezus, severioremque, quam par esset, exhibuit; ipsam tamen sententiam, ab Arrubale ambitiosius commendatam, fuggillat, ac reprobat, tanquam Divina Gratia plus jure derogantem.

tum quia impossibile est, in aliquo momento priori natura voluntatem nostram prius operari, aut determinari, quam Deus cum illa operari, retur:

retur: tum etiam quia, cum voluntas nostra non tantum indigeat ad operandum excitatione, sed etiam cooperatione gratia, ut consentiat excitationi; indiget quoque cooperatione, ut se determinet ad consensum. Atque adeo in aliquo priori intelligi determinata non potest sine gratia cooperante.

CAPUT III.

Eleutherii in Romanos Censores falsa, & iniqua criminationes: ejusdemque in arrodendis postremis illorum iudiciis, vellicandoque meditate Bullæ specimen, labor virtus.

Uam ipsa falsitatem, ac, pene dixerim, ineptiam prodit, quæ primo statim ingressa calumnia struitur: Pontificem, absolutis Theologorum disputationibus, iudiciorum suorum rationem a Consultoribus exegisse. Quis id legat, ac non statim in animum inducat, diem tandem Consultoribus dictam esse, ut & ipsi non jam ventilata doctrina Censores, sed rei potius vadimonium obirent? At Davus sit, qui non videat, id a te livore malo dictum esse, ut sinistra de illis opinionem leiores imbiberent; longæque abesse, ut ab iis latorum hæc iudiciorum rationem exegerit Pontifex, a quibus potius damnanda doctrina Canones, & publicande Pontificie Constitutionis specimen edi, voluit.

Paris audeat esse, quæ proxime calumnia sequitur: Consultores, intellecta Pontificis voluntate (ut scilicet, quæ probanda, quæve damnanda judicaret, singuli seorsim scripto traderent) mendes fere quatuor consumpsisse, ut aptas confirmandas pristinis iudiciis rationes invenirent; eisdemque mirum in modum varie, atque perplexæ, privata quemque Minerva, scripsisse; Pontificemque scripta singularia improbasse. Equi enim nostri, Censores miro plane modo varie, atque perplexæ scripsisse, quos omnes, uno duntaxat excepto, ejusdem fuisse sententia, Notarius monet; etiam non uno modo rationum momenta executi essent? Aut cui forte mirum videatur, quod non iidem etiam vocibus, & apicibus concordem sententiam seorsim, ac separatim expresserint? Sed & quo teste, quo auctore, improbata ab Summo Pontifice singularum scripta, interovisti? Nec advertis, te indiscreta illa, quam imprudenter effutis, scriptorum omnium improbatione, tuam quoque Antonium Bovium ex æquo perstringere, intractum illum Moliniana cause patronum, ac defensorum, cuius saltem scripta, ne domesticam causam proderet, Pontifici probata, dicere debuisses. At, ut video, improbata singulorum Censuram scripta fingere libuit, quia Pontifex, novos subinde congressus ab iisdem haberi voluit: quod utique factum comminisceris, ut eo tandem pacto experiretur, an mutuo colloquio, collatisque consiliis, res melius succederet, nervosioraque, ac magis consentanea futura essent omnium in unum collata iudicia, quam fuerant singulorum. Verum figmentum novo figmento probare convinceris: ex ipso quippe Pontificis scripto, dato die 5. Octobris, (1) quo postremos illos Censuram congressus indixit, aperte liquet, non ea mente, eoque consilio esse habitos, ut inter se iudicio convenirent, lataque scripto censuras firmiteribus, magisque coherentibus momentis communicarent; sed ut damnandas propositiones diligenti studio seligerent; quæ etiam in Bulla exprimerent, quæve attingere oporteret, accurate observarent, atque ad veram, & aptam formam reducerent.

Pergis nihilominus calumniarum funem ducere, reprobatum iterum, iniquis, & rejectumque novum hoc Consultorum iudicium, tanquam minus coherentem, nec idoneis satis rationibus munitum. Imprudenter omnino, & inconsulte; cum de iudicio rationibus muniendo nequidem iis in congressibus ageretur, sed de feligendis Molinae propositionibus, quas Pontificio Diplomate configere, necesse esset, iisdemque ad debitam formam reducendis. Quæ tunc vero, ac deinceps, eos inter controversia nata est, non ipsam doctrina summam pe-tebat, sed Molinianas propositiones efferendi, ac disponendi modum. Die 23. Novembris, inquit Coronellus in Actis, anno Domini 1606. Sanctissimus D. N. eum cognovisset, RR. DD. CONSULTORUM UNAM, EANDEMQUE ESSE SENTENTIAM DE PROPOSITIONIBUS CONDEMNANDIS, EX LIBRO CONCORDIE MOLINE DESUMPTIS; in modo tamen exponendi errores, non facile inter sese posse convenire, vocatis ad se Patriis Secretariis, eis impulsit, ut cum RR. DD. Petro Lombardo, Archiepiscopo Armachano, & F. Joanne de Rada, Archiepiscopo Trancasi, propositiones Molinae, quæ videbantur condemnande, ad brevem, & claram formam reducerent, & postea illas exhiberent Congregationi, &c. Num tu igitur nugacissimus cavillator, qui tam levi, immo tam nullo obtentu, postrema Censuram judica deprimis; meque ipsum, quod lepidius est, ineptiarum criminatum testem appellas, quod non omnino inter illos convenisse dixerim, dum de Molinianis propositionibus, ad quarum damnationem conspiraverat universi, apte, debiteque in Pontificio damnationis Diplomate disponendis, consultationem habere? Id si liceat, parem Tridentina Synodi Theologis calumniam iuras, qui cum sepe, ubi de concipiendis, præscribendisque Canonibus quæstio venit, inter sese quam maxime diffidebant, tamen summo omnium assensu ad erroris damnationem conspirarent. (2)

Sed violantur, inquis, immo & ignorantur Romani Censores Pauli V. mandata, si vera refert Historicus. At quippe, voluisse Pontificem, ut Consultores separatim sua hæc scripta mandarent: 1. Quid fide in hac materia tenendum esset; quid damnandum, quæve ratione &c. cum tamen, nonnullis interjectis, ostentaret, ac parum coherentem subjungat, adduci non potuisse Consultores, ut novem tenende, ac definiende doctrina capitibus, ab Archiepiscopo Armachano ultimo digestis, assentirentur, quæ Pontifex damnandas duntaxat propositiones colligi jussisset, nihil de oppositis propositionibus injungens, quas in Catholicis veritates statuerat, necesse esset. Falleris, Eleutheri, quique aliis ostentantur exprobas, & eordem in modum hallucinans; qui distincta Pauli V. mandata, (3) & statu rerum, & temporis ratione, diversa promissive confundis, ut & Censuribus mandati Pontifici violationem objicias, & mihi admittam antilogiam exprobes. Aliud itaque, scito, Pauli V. mandatum die 9. Martii 1606, aliud die 5. Octobris ejusdem anni Consultoribus denunciatum. Priori edixerat, ut Consultores separatim, ac, nulla secum habita collatione, nullique mortali communicato consilio, tria hæc scripto mandarent: 1. Quid fide tenendum esset, quid damnandum, quæve ratione &c. Cui illi morem gessere, traditis sub finem Augusti in Pontificis manus consultationibus, atque suffragiis. Altero edixerat, ut conjunctim jam, ac mutua secum habita collatione, quas damnandas conferent propositiones, diligenti studio seligerent: quæ etiam in Bulla exprimerent, quæve attingerent.

(1) Extat Lib. 4. c. 10. (2) Pallavic. lib. 7. cap. 9. & lib. 8. cap. 13. (3) Extant lib. 4. c. 19.